



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De
Imitatione Christi Libri Quatuor**

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

XVI. De sufferentia defectuum aliorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45773)

Benè facit , qui communitati magis quam suæ voluntati servit.

Sæpè videtur esse charitas , & est magis carnalitas : quia naturalis inclinatio , propria voluntas , spes retributionis , affectus commoditatis , raro abesse volunt.

3. Qui veram & perfectam charitatem habet , in nulla re seipsum quærit ; sed Dei solummodo gloriam in omnibus fieri desiderat.

Nulli etiam invidet , quia nullum privatum gaudium amat : nec in seipso vult gaudere ; sed in Deo , super omnia bona , optat beatificare.

Nemini aliquid boni attribuit , sed totaliter ad Deum refert , à quo fontaliter omnia procedunt , in quo finaliter omnes Sancti fruibiliter quiescunt.

O qui scintillam haberet veræ charitatis , profectò omnia terrena sentiret plena fore vanitatis !

C A P U T X V I .

De suffientia defectuum aliorum.

1. **Q**UÆ homo in se vel in aliis emen-

emendare non valet, debet patienter sustinere, donec Deus aliter ordinet.

Cogita, quia sic forte melius est pro tua probatione & patientia, sine qua non sunt multum ponderanda merita nostra,

Debes tamen pro talibus impedimentis supplicare, ut Deus tibi dignetur subvenire, & possis benignè portare.

2. Si quis semel aut bis admonitus, non acquiescit, noli cum eo contendere; sed totum Deo committe, ut fiat voluntas ejus, & honor in omnibus servis ejus, qui scit bene mala in bonum convertere.

Stude patiens esse in tolerando aliorum defectus, & qualescumque infirmitates; quia & tu multa habes, quæ ab aliis oportet tolerari.

Si non potes te talem facere, quem vis; quomodo alium poteris ad tuum habere beneplacitum.

Libenter habemus alios perfectos, & tamen proprios non emendamus defectus.

3. Volumus, quod alii strictè corrigan-
tur, & ipsi corrigi nolumus.

Displacet larga aliorum licentia, &
tamen nobis nolumus negari quod
petimus.

Alios restringi per statuta volu-
mus, & ipsi nullatenus nos patimur
amplius cohiberi.

Sic ergo patet, quam raro prox-
imum sicut nos ipsos pensamus.

Si essent omnes perfecti, quid
tunc haberemus ab aliis pro Deo
pati?

4. Nunc autem Deus sic ordina-
vit, ut discamus alter alterius onera
portare: quia nemo sine defectu, ne-
mo sine onere; nemo sibi sufficiens;
nemo sibi satis sapiens: sed oportet
nos invicem portare, invicem con-
solari, pariter adjuvare, instruere &
admonere.

Quantæ autem virtutis quisque
fuerit, melius patet occasione ad-
versitatis.

Occasiones namque hominem
fragilem non faciunt: sed qualis sit,
ostendunt.

CA-